

CASUS MORALIS

DE STATU GRATIAE REQUISITO IN SACERDOTE CELEBRANTE

ALPHONSUS sacerdos ad ecclesiam gressus dirigens Missam celebraturus in pravo quodam desiderio tunc temporis oborto sibi plene et deliberate complacuit. Sacristiam ingressus ac proprium confessarium apud quem confessionem libenter institueret ibi non inveniens, Alphonsus perfectae contritionis actum praehabuit atque Missam celebravit. Deinde post Missam quosdam pueros confiteri volentes ad confessionem admisit illosque tamen ficte absolvit cum timeret ne se exinde sacrilegii labe commacularet.

QUAERITUR:

- I. An et quandonam liceat sacerdoti qui peccatum grave commiserit Missam celebrare non instituta prius sacramentali confessione.
- II. Num liceat unquam sacramenta simulare aut dissimulare.
- III. Quid de Alphonsi agendi modo censendum sit.

SOLUTIO:

AD I. Inter dispositiones necessarias ad sacrificium Missae licite celebrandum primo loco recensetur status gratiae in sacerdote celebrante. 'Sacerdos sibi conscius peccati mortalis, quantumvis se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione Missam celebrare ne audeat; quod si, deficiente copia confessarii et urgente necessitate, elicitio tamen perfectae contritionis actu, celebraverit, quamprimum confiteatur'.¹

Amissus status gratiae ante Missae celebrationem per sacramentalem confessionem, si fieri potest, praecipitur recuperandus. Quae sacramentalis confessio imponitur solum quando sacerdos est conscius, hoc est certus, peccati mortalis. Quaerunt theologi utrum praeceptum istud praemittendi confessionem sit humanum an divinum. Pro praecepto mere ecclesiastico se pronuntiat Regatillo² allegans in favorem sententiae a se propugnatae documenta historica.³ Contrarium, nempe praeceptum

¹ C.I.C., can. 807.

² *Ius Sacramentarium*, ed. 3a (Santander, 1960), n. 131.

³ Apud Osterle in articulo *De oblig. sacerdot. celebrant. confessionem sacram. peragendi vi can. 807*, in *Monitor Eccles.*, 1955, pp. 89-105.

divinum, adducit Cappello scribens: 'Communior et, nostro iudicio, verior sententia tenet, hoc praeceptum esse divinum'. Quod clarus auctor confirmat auctoritate Suarez, Lugo, Vasquez, S. Alphonsi.⁴

Quidquid sit de origine ipsius praecepti, certum est, sicut animadvertit Palazzini, praeceptum hoc habendum esse 'grave et absolutum, quia de lege agitur fundata in periculo communi'.⁵

Ex memorato can. 807 praeceptum peragendi sacramentalem confessionem post commissum peccatum mortale formale, antequam Missa celebretur, sub duabus tantum conditionibus relaxatur, scilicet si copia confessarii deficiat et simul urgeat necessitas celebrandi, quo in casu viget lex subsidiaria, praescribens sacerdoti arctato ad celebrationem, tum actum perfectae contritionis ante Missae celebrationem eliciendum tum confessionem quamprimum post Missae celebrationem instituendam (i.e. intra triduum sequentem iuxta communem sententiam, vel etiam prius si denuo celebrare debeat aut altera et tertia die non habiturus erit confessarium quam pridie habet).

Defectus confessarii existere censetur non si mere absit sacerdos cui celebrans solet et cuperet confiteri; vel alius cui devotius et utilius confiteretur, sed:

- (a) si nullus adsit, et spectatis adiunctis personae, v.gr. debilis, senis, occupatae; viarum, distantiae, brevitatis temporis, etc., absens sine magno incommodo adiri non possit;
- (b) si qui forte adsit sacerdos sit linguae ignarus vel iurisdictione careat vel apud illum confessio institui nequeat absque damno proprio (e.g. scandali, infamiae) vel alieno (e.g. si peccatum accusari non potest sine complicitis manifestatione).

Solum incommodum confessioni *extrinsecum* a confessione excusat, si confessarius adsit; non vero incommodum *intrinsecum* seu verecundia vel infamia quam poenitens apud confessarium patietur, nisi in peculiaribus adiunctis (v.g. si parochus aetate provecus et bonae existimationis debeat confiteri apud proprium coadiutorem iuvenem aut familiarem).

— Ita Vermeersch.⁶

Necessitas celebrandi verificatur v.gr. (i) ad ministrandum viaticum, (ii) ad perficiendum sacrificium ab alio inchoatum, (iii) ad vitandum

⁴ Cappello, *Tractatus canonico-moralis de Sacramentis*, I, ed. 6a (Marietti, 1953), n. 438.

⁵ Palazzini-De Jorio, *Casus Conscientiae* (Marietti, 1958). II, p. 93.

⁶ Vermeersch-Creusen, *Epitome Iuris Canonici*, II, ed. 3a (Mechliniae-Romae, 1927), n. 79.

scandalum vel infamiam, (iv) ut populus praecepto satisfacere possit, (v) in peculiaribus adiunctis uti ratione exsequiarum, primae communionis, prima feria VI mensis, et similibus, (vi) ad vitandam interruptionem mensis gregoriani, (vii) ad vitandam offensionem offerentis eleemosynam, (viii) ad instantiam aliquorum fidelium qui secus sacra communionem privari deberent, (ix) si sacerdos valde pauper indiget Missae stipendio ad sustentationem. — Ita theologi communiter.

AD II. *Simulatio* sacramenti est positio sacramenti ficta et mendax, seu cum praevisione deceptionis aliorum. Habetur simulatio ac proinde non conficitur sacramentum quia occulte deest vel intentio, vel praeterea materia aut forma valida.

Vocatur *stricta* si habetur positio materiae et formae cum manifestatione voluntatis conficiendi sacramentum, quae tamen voluntas reapse deest in ministro. Erit *minus stricta* simulatio si sola materia aut sola forma ponitur cum illa manifestatione voluntatis.

Habetur simulatio sacramenti *impropria* si adhibetur usus alius rei quae apparentiam materiae aut formae continet, eo fine ut quis censeatur sacramentum conficere.

Simulatio est *formalis vel materialis* prout deceptio praevisa aliorum, qui putant sacramentum confici, a ministro intendatur vel solum permittatur.

Dissimulatio est positio alicuius ritus sacramento similis, quin tamen habeatur intentio, materia, forma sacramenti (v.g. benedictio loco absolutionis) eo fine ut minister occultet negationem sacramenti, ubi adiuncta hoc postulent.

Principia de licitate:

I. Simulatio sive stricta sive minus stricta est semper illicita. Ratio est quia importat mendacium graviter sacrilegum et nocivum.

II. Simulatio impropria per se probabiliter non est graviter illicita. Ratio est quia ritus sacramenti nec totaliter nec partialiter adhibetur ac proinde sacramento non fit iniuria. Mendacium tamen committitur. Addunt theologi talem simulationem posse per accidens constituere grave peccatum (v.g. contra caritatem vel iustitiam respectu subiecti cui denegatur sacramentum).

III. Dissimulatio licita est ob iustam causam. Ratio est quia, ut notat S. Alphonsus, in dissimulatione nec fit iniuria sacramento nec committitur mendacium, sed solum occultatur veritas.⁷

⁷ S. Alphonsus, *Opera Moralia*, III, 59.

AD III. Alphonsi agendi ratio minus recta fuit. Ad Missae celebrationem quod attinet non licuit Alphonso ad altare celebraturus accedere, etiam elicitō praevio contritionis perfectae actu, tum quia de facto non deficiebat copia confessarii si proprius dumtaxat confessarius deerat, alius tamen adesset cui Alphonsus posset ac deberet confiteri (iuxta dicta in responsione ad primum) si vellet Missam celebrare. Neque constat ex facti specie quod Missae celebratio tunc urgebat ob quamlibet e causis a theologis et canonistis recensitis. Potius debebat Alphonsus, si alii confessario confiteri nolebat vel si, deficientibus aliis quoque confessariis, Missae celebratio re vera non urgebat, indispositionem physicam vel morbum simulare vel alio praetextu ab ecclesia recedere, modo tamen ut scandulum vel populi admirationem vitaret.⁸

Respectu vero puerorum confessionum quas audivit, Alphonsus non recte iudicavit se sacrilegium commissurum si, ante institutam a se peccati commissi confessionem, absolutionem sacramentalem impertiisset. Pro actuali enim exercitio sacramenti poenitentiae, sicut et ceterorum sacramentorum excepta eucharistia, sufficit status gratiae saltem per actum perfectae contritionis recuperatus, si fuerit amissus.

Attamen, si Alphonsus ante Missam vel ea durante animadverterit se illicite Missam celebrare, non potuit licite absolvere nisi sincere elicitō novo perfectae contritionis actu.

In casu Alphonsus sacerdos simulationem propriam et stricte dictam exercuit. Quae ne metu quidem gravi excusatur uti liquet ex sequenti propositione damnata ab Innocentio XI: 'Urgens metus gravis est causa iusta sacramenti administrationem simulandi'.⁹

Debuisset Alphonsus pueros illos confiteri volentes vel ad alium confessarium dirigere vel, si venialia tantum apud ipsum confessi essent, illos praemonere non esse necessarium absolutionem et sic praemonitos rite benedictos dimittere.

C. MUSCAT

⁸ Ita Zalba, *Theologiae Moralis Compendium*, II (Madrid, 1958), n. 658.

⁹ Denz., 1179.